



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

in cruce leuatur. Artic. LII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

imitari magis fructuosum, quam ut inimicis nostris compatiatur? quia se magis laudant, quam nos: imo nobis si volumus, ad patientiae coronam proficiunt. Oremus quae pro eis, non detrahendo, aut malum reddendo vindicemus nos: sed excusando, benefaciendo, nos humiliando vincamus & emolliamus malitiam eorum vel iram, ut simus filij Dei (sicut Christus verbo praedicavit, & exemplo semper monstravit) qui solem suum ortiri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Erga inimicos suos quomodo quisque se habere debet. Matth. 5. Luca 6.

VI

IESVS IN CRUCE LEVATUR.

Articulus LII.

Crucifixum Dominum, & sicut cordam extensum magnis clamoribus & tumultu in aera cum cruce elevarunt, ut ab omnibus posset videri, ab omnibus subsannari. Scribitur autem à quibusdam, crucem fouez, seu foramini parato sic immisissam, ut in altum leuaretur, & incidere violenter, & impetuose permitteretur: ob hoc quae omnibus membris crucifixi Domini concussis, omnibus vulneribus & pœnis renouatis, & ampliatis sanguinem copiosius profluxisse.

Cogitare conuenit hic quantum dolorem Domino intulit crucipendens talis, dum tota moles corporis tribus duntaxat clauis sustentaretur, & sine refrigerio, sine doloris interpolatione, sine requie Dominus esset. Nam si manibus parcere voluisset pedes tanto maiorem ferebant dolorem, quanto vni durius clauo inniti oportuisset. Si pedibus releuamen praestare voluisset, manus tanto acriori distendebantur dolore, quae totam corporis molem duobus clauis haerentes, portabant. Nec etiam capiti vllam poterat praestare requiem spinis obstito, quocumque se vertebat, quocumque reclinabat spinæ motæ acrius pungebant. Itaque nullum refrigerium, sed continuus cruciatus Domino fuit. Accipiamus hic occasionem rogandi Dominum, & toto posse ad hoc nitamur, ut à terra, id est, à terrenis actibus cum Christo leuemur, ut tota cogitatio nostra, affectio, locutio, amor & conuersatio sit in cruce: imo in Christo, ut in vulneribus eius habitemus, quam alienati à corpore, & mundo mortui nihil sciamus, nisi Deum, nisi in quantum corporalis necessitas, obedientia vel fraterna charitas, mandant.

Pendens a Iesu in cruce quam fuerit ineffabiliter pœnosa.

Leuari cum Christo in cruce quomodo mystice debeam.

IESVS INTER LATRONES MEDIUS

ponitur. Articulus LIII.

Crucifixum autem cum Domino Iesu etiam duos alios latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris: ut iam ante dictum est, medium autem Iesum, cupientes per hæc Domini innocentiam infamare, ut quia mortis causam non habebat, ex hoc saltem spectaculo, malis peior iudicaretur, & his quibus iunctus erat in supplicio, socius fuisse crederetur, & magister facinorosis: & ideo in medio quasi capitaneus & princeps latronum crucifixus est. Et impleta est scriptura, quae dicit: Et cum iniquis deputatus est. Docemur autem hic patientiam habere, si quid contra famam nostram quandoque machinantur mali homines, exemplo Christi. O quam longè fuit ipse à facto, cuius tamen infamiam sustinuit. Nos tamen nunquam à culpa iamunes iniuriam sustinemus, quia etsi hanc, quam sustinemus infamiam aut iniuriam,

Isaie 53. Famam nostram laesione quomodo cum Iesu patienter feramus.

QQ 3 non



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN